NICOLAI STENONIS AD VIRUM ERUDITUM, CUM QUO IN VNITATE S.R.E. DESIDERAT...

Niels Steensen





NICOLAI STENONIS

Ex pluribus ad

IOHANNEM SYLVIVM


Caluini dogmata Amstelodami docentem ante quinquennium, & quod excedit scripsi binæ Epistolæ,

Altera de propria conuersione,

Altera de infelici ipsius Syluij ad geminam ipsi propositum Syllogismum responso.







FLORENTIÆ;

Ex Typographia Ioannis Gugliantini. 1677.

Superiorum permissu.

De propria conuersione Epistola.



ON Turbat aliorum quietem, qui veram illis quietem à Deo impetrare studet, quo conatu nihil nec Deo gratius nec conanti vtilius. Sed nec meam quietem turbare valeant multa illa, judicio mundi, satis aspera, quæ tuis interspergis, cum nihil mihi acceptius esse debeat, quam pro nomine Iesu quædam pati, non omnino dissimilia grauissimis illis, quæ pro mea ille omniumq; salute sibi exprobrari audiuit. Cum autem videam te conuersionis meæ argumenta desiderare, licet optassem etiam modum totum tibi perscribere, quia tamen tabellarij instans digressus prolixiora non admittit accipe breui compendio quicquid Deo placuerit mihi in mentem reuocare. Sœpius plurium annorum interuallo mihi talia non quærenti, quin potius declinanti, de religione varia disserebant Catholici, quibus me acriter vbique opposui, quamdiu versionem scripturæ à Luthero propositam, & eiusdem institutiones catecheticas pro puro, & incorrupto Dei Verbo habebam. Et licet vltimis meæ cęcitatis annis philosophiæ Cartesianæ studium, & reliquorum in Belgio ad scripturaś suas prouocantium multiplicitas atque dissidium, modusque multorum viuendi politicus, vt dicitur, præiudicij illius vires sensim debilitarent, patris tamen institutis semper inhæsi, non tam quod pristinam de illis fidei persuasionem in me deprehenderem, quam quod studia naturalia, & peregrinatio semper inde me ad alias occupationes auerterent. Non dicam modo quibus me medijs Deus à Cartesianæ philosophiæ periculo liberauit, quibus argumentis me etiamnum errores meos amantem de sua prouidentia contra vitiosam politicorum prudentiam securum esse voluit, quibus deniq; me modis docuit, non semper in oculis Dei reum esse, quem hominum iudicia condemnant, ad rumores hominum tanto facilius spernendos. Quæ omnia media erant, quibus me Deus vt vt reluctantem ad se inuitauit. Multum apud me valuit vita quorundam amicorum Catholicorum, cui similem nec philosophi promittũt, nec apud amicos aliarum religionum obseruaueram; & iam tum agnoueram, quando de veritate doctrinæ agitur, ad hominum eamdem doctrinam profitentium, vel ignoran-

tiam, vel malitiam non esse attendendum; Serium tamen religionis examen mihi nondum permittebat rerum naturalium studium, cui totum me immerseram, donec diuina misericordia hac me via à reliquis studijs ad studium salutis inopinato pertraxit. De religione varia mihi differuerat vitæ sanctimonia conspicua Nobilis Matrona, cui quærenti an ne sentirem quoddam in me religionis Catholicę, vel leue desiderium? Respondi; me quidem in Catholicis multa obseruasse, quæ non mihi displicebant, & in Lutheranis quædam notasse, quæ non placebant, nihil tamen hactenus vidisse, quod cogeret ad recedendum à religione, cui me natiuitas, & patria obstrinxerant. Ad quæ verba magno, & verè christiano zelo impulsa illa Dei ancilla exclamauit; O si sanguis meus sufficeret ad necessitatem illam tibi demonstrandam, testor Deum, me vel hoc momento vitam pro tua salute daturam. Com motus hoc non expectato Christianæ charitatis argumento respondi, me necdum similem Dei, & proximi amorem in vllo obseruasse, imo agnoscere me quod hactenus alijs studijs maiori cum attentione insudauerim, quam saluti propriæ, & spondere ex hoc momento serium religionis examen. Quo fine illicò ab amicis petitos libros non catholicos modò, sed & alios, vt Centuriatores Magdeburgenses, aliosq; varios serio legendos suscepi, singulis diebus matutinas horas fere omnes illi inquisitioni impendens. Et licet illicò rationes mox subijciendæ mihi sese offerrent, tantis tamen tamq; varijs sollicitudinibus distrahebatur animus, catenis tenebrarum implicatus, vt sui quasi impos infelicitatis suæ terminum non inueniret, donec festo omnium piè defunctorum circa vesperam tot simul, & argumenta concurrerent, & circumstantiæ, vt tandem manifesto agnoscens me prehensis manibus à Deo ad Ecclesiam suam perductum, confiteri tenerer, *Dirupisti vincula mea Domine*.

Argumenta autem, quæ maxime me vrgebant tunc temporis, erant sequentia.

Extitisse aliquando in Ecclesia Romana veram Christi Ecclesiam extra controuersiam est, nec inficiari licet, habuisse maiores nostros cum Gentiles essent, à Romanis, & doctrinam fidei, & doctores, adeoque obedientiæ, & fidelitatis iuramentum Pontifici Romano præstitisse, quo illos iuramento absq; diuina autoritate nemo soluere poterat. Fatentur insuper omnes ad Lutheri vsq; tempora cum spe vitæ æternæ mortuos, qui in Ecclesia Romana piè moriebantur. At subortis inde cum Luthero varijs reformatoribus inter se inuicem pugnantibus, quæritur an in Ecclesia Romana, an vero in quadam reformatorum Ecclesia, vera Christi Ecclesia reperienda? Sa-

ne vt

ne vt omnes reformationes promiſcuè admittendas nemo dixerit, quod Spiritus veritatis contrariarum Eccleſiarum, autor eſſe non poſſit, ſic quænam reliquis præferenda ſit, nemo inuenit cum nulli in vlla characteres extent probantes potius vnam quam alteram pro diuina habendam, quod doctrinæ puritatem omnes iactent, omnes ad Scripturas Sacras prouocent, Eccleſiamq; ſuam omnes Apoſtolicam dicant. Si à quolibet Scripturarum ſuarum autoritatem exigis ratione traditionis, nullos alios ſibi eas porrigentes afferre poſſunt, quam quos ipſi damnant; Si verſionum varietatem legitimam probandam vrges, nihil habent, quod afferant, præter autores reformationum; Si quæris vnde doctrinæ Catecheticæ, & Sacramentorum praxis in qualibet Eccleſia? Licet omnes Apoſtolica ſua eſſe dicant, nemo tamen vllam, non dico Eccleſiam, ſed ne vllum quidem hominem nominare poterit, vnde ſuæ reformationis autor illam Sacramentorum praxim illamq; doctrinam Catecheticam acceperit, quæ in iſta Societate pro Apoſtolicis habentur: Tandemq; aliud nihil afferunt niſi illud omnibus commune: *Scripturas lege, & nos veros agnoſces*, & ſic omnia reducuntur ad hanc vnicam quæſtionem; Inter varias locorum indeterminatorum in ſcriptura determinationes, quænam pro diuina habenda, Lutheri ne, an Caluini, alteriuſue reformationum autoris, vel mea, an vero illa quam maiores noſtri pro diuina habuerunt ante Lutheri tempora, vtpote tot SS. Patrum teſtimonijs, tot Martyrum ſanguine confirmatam idque in Eccleſia, per quam Deus eoſdem maiores noſtros à Paganiſmo ad Euangelium conuertit?

His ego omnibus excuſſis concluſi nullum è reformatoribus ſequendum eſſe, cùm eorum nemo diuinam reformationis ſuæ autoritatem afferre poſſit, nec vllus eorundem habeat, quo reliquis veriorem ſe probet; ad eam verò Eccleſiam redeundum eſſe, cui maiores noſtri conuerſionem ſuam debent, à qua reliquæ omnes Eccleſiæ exierunt, quæ ſola ſeſe Apoſtolicam probat, alijſque characteribus fulget Dei præſentiam ſupernaturalem arguentibus, in qua ego Eccleſia iam tum illa ſanctitatis argumenta videram, quæ in nulla aliarum Eccleſiarum promittuntur, ne dum reperiuntur. Poſſem multa referre tum circa controuerſias particulares, tum circa variorum exhortationes quolibet argumento validiores, ſed ex generalibus ſuperius dicta demonſtratiua ſunt ratione falſitatis aliorum, vt vt probabilia tantum ſint ratione veritatis Catholicæ; cùm illis ego tantum moralem certitudinem adſcribam, diuinam certitudinem gratiæ diuinæ totam acceptam ferens, quæ eodem tempore adeo abundanter me beauit, vt interni gaudij externa ſigna amicis

cis patuerint. Sed diuina certitudo nemini nisi eam experienti demonstrari potest; De argumentis autem certitudinis moralis inter nos disseritur, qualia nobis esse plurima ostendimus, vobis autem nulla, imo vestris vos contradictionibus demonstratiua certitudine falsos conuincimus.

Sit in æternum benedictum nomen Domini, qui à tenebris in lucem à morte in vitam me reuocauit ille tibi communibusque nostris amicis imò omnibus hominibus largiatur veram in veræ Ecclesiæ gremio animæ tranquillitatem.

De infelici Siluij responso ad duos ipsi propositos syllogismos vnum contra credentem S. Script. alterum contra negantem eam. Epistola.

QValis causa, quæ tali defensiône indiget? Primus meus hic est Syllogismus.

Contra admittentem S.Scrip. Quæ Ecclesia talis est, est vera (ex verbo Dei.)

Romana hodierna est talis (ex statu præsenti, & historia temporum.)

Hic, quæ ego parenthesi incluseram, animo indicandi maiorem propositionem desumptam esse ex Sacra Scriptura; minorem autem ex statu præsenti, & historia temporum, tu ipsis propositionibus inseris, & has inde formas propositiones.

Quæ talis est qualem status præsens, & historia temporum dicit, est vera.

Quæ talis est, qualem verbum Dei, & status præsens cum historia temporum describit, est vera.

Alter meus Syllogismus ita proponitur.

Vbi tales characteres reperiuntur, Deus modo quodam adest, quo alibi in natura non deprehenditur (ex natura.)

Contra negantē S.Scrip. In sola Romana tales characteres reperiuntur (ex statu præsenti, & historia temporum.)

Hic dicis me idem probare per idem, ac si signatum esset idem cum signo, & præsentia Dei non ordinaria idem cum signis talem præsentiam arguentibus; sed & quæris, cur non dixerim liberè, Quæ talis est qualem natura requirit, est vera Ecclesia. Si hoc est Dei gloriam seriò quærere, iudicet, qui Deum timet.

Quater in prioribus meis dixeram requiri præter naturalem assensum etiam, & quidem præcipuè assensum supernaturalem à Diuina locutione, & motione diuina petendum vt ad pos. 11. ad quest.

1. 2. & 3. & tamen pleraque tua eo tendunt ac ſi dixiſſem præter naturalem aſſenſum nihil requiri. Sed & frequenter me culpas, quod vbi quæritur, vtri ſecundum Romanos S; vt alibi ais, iuxta tenorem Eccleſiæ Romanæ creditur, ego reſpondeam iuxta tenorem Eccleſiæ Romanæ, & fluctuantis reſponſionem à me exigis, ſcilicet, vt dubitans dicat, cur non dubitat; Nondum credens cui & cur credat.

Taceo reliqua, quæ quidem plurima ſed ſimul adeo leuia ſunt, vt ea repetijſſe eſſet refutaſſe, iterumque tibi ingemino.

Qualis eſt illa cauſa, quæ tali eget defenſione? Si credis vel à prolixitate tædium, vel à verborum aſperitate indignationem mihi mouendam, falleris; Dei cauſam amore Dei ago, & confido te olim hunc meum tractandi modum vero amore excepturum. Deus mentem tuam illuminet, atque voluntatem moueat, vt inter nos acta attentè examinans agnoſcas, omnia externa media ad fidem inſinuandam ſufficientia tibi à Deo propoſita eſſe, quibus interius cooperans Spiritus conſcientiæ ſtimulos ſine dubio tibi ſæpius admouit. Si te vlterius reſiſtentem exhibueris, caue ne ſero nimis auribus tuis inſonans illud D. Stephani: *vos ſemper reſiſtitis Spiritui Sancto*: pro fide deſperationem producat. Quo autem clarius mentem noſtram percipias, non recuſo eam iterum compendio repetiſſe.

Homo nec credenda intelligit ſine diuino lumine, nec intellecta credit ſine diuino impulſu, nec credita operatur ſine diuino concurſu * res autem hæ intelligendæ, credendæ, operandæ aliquo modo illi proponi debent, ſcilicet vel à Deo immediate vel à Deo mediante vmana voce aut ſcriptura. Dicimus itaque nos Deo credere exterius quidem per Eccleſiæ viſibilia membra nobis loquenti, interius vero per ſuum Spiritum illuminanti intellectum, mouenti voluntatem, & operationes omnes bonas præuenienti, concomitanti, perficienti, ſi vero fluctuans quærit, cur potius credendum loqui Deum per membra Eccleſiæ Romanę, quam per membra Eccleſiæ à Caluino aut alio congregatæ, damus illi argumenta falſitatem reliquorũ demonſtrantia, veritatem autem noſtram probabilem tantum reddentia * ex communi principio deducta, *ita* vt pruden ter dubitare non poſſit ſed cum his argumentis non poſſumus illi fidem dare ſeu certitudinem diuinam, quam precibus à Deo expetendam dicimus. Sic tibi ego in tuis contradictiones oſtendi, argumenta te tibi ſuſpectum redditura propoſui, tuum diuina tractandi modum indicaui: Si vlterius tuis credideris, contra conſcientiam agis, ſin veram fidem deſideras, à falſis cognitis recedito, ar-

** Sub in di ſpeciali.*

** Subaudi precißis principijs reuelatis.*

gumenta veritatis nostræ sine contradicendi studio examinato, & implorato Dei gratiam, quæ pulsanti aperiet, & petenti omnia dabit, quam tibi felicitatem ex animo precor.

Vale.

Reuerendiss. P. D.
Epistolas hasce doctrina, pietate, & zelo alijs eiusdem Autoris consimiles legi, typisque dignas censeo.
Augustinus Coltell. S. Off. Consul. & librorum Censor.

Perlectis olim alijs, & iterum nunc his duobus Epistolis, idem de ijsdem ac D. meus Augustinus Cultellinus fero iudicium; & vt nedum priuatim Amico, cui sunt inscriptæ, seù & publice cæteris eiusdem Asseclis veræ Religionis lumen ingerant, publica luce dignas existimo.
D. Ioseph Maria Ambrogi C. Reg. S. Off. Cons.

Attenta suprascripta attestatione.
Imprimatur.
F. Franciscus Panzarosa Vic. Gen. S. Off. Flor.

Imprimatur.
Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Mattheus de Mercatis Aduocatus pro Serenifs. Magno Duc. Etrur.

MC